

Albert Hein    Heinrich Schuckmann

## **Disputatio De Deposito**

Rostochii: Praelo Reusneriano, 1608

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728320053>**

Druck    Freier  Zugang



RU. p. 1608  
Albert Hein.  
Resp. Heinrich Schückmann



50.49  
8  
49

Disputatio  
DE  
DEPOSITO,

*Quam*

Divinâ adspirante gratiâ

PRÆSIDE

*Clarissimo ac consultissimo viro*

DN. ALBERTO HEINIO I. U. D.  
& in celeberrima Rostochienfi Academia Decretalium Professore ordinario,

*Publicè discutiendam proponit*

HENRICVS SCHVCKMAN  
Osnabrug. VVestphalus.

*Habebitur disputatio in auditorio magno 30. Aprilis, initio ad horam 6. matutinam facta.*



*I. D. 118. 50.*

ROSTOCHII  
Prælo Reusneriano, Anno 1608.

Diplomatio



Landerbuch 1196



THESIS I.



Depositum ( ex eo quod ponitur dictum ) est contractus, quo res gratis custodienda datur sub fide restituendi.

I I.

Estq; duplex, Depositum sic in specie dictum & sequestratio.

I I I.

Illud est rei non litigiosæ ab uno, vel pluribus: hæc rei litigiosæ à pluribus facta depositio.

I V.

Utrumq; rursus vel ex voluntate proficiscitur, vel ex necessitate descendit.

V.

Ex voluntate proficiscitur depositum, quando quis nulla necessitate coactus sponte sua rem deponit.

V I.

Ex necessitate verò deponitur, quod tumultus, incendij, ruinæ, naufragij causa deponitur.

V I I.

Deponere possunt omnes, qui aliàs contrahere, nec dominus modò, sed & alius, fur etiam & prædo. Si tamen rei depositæ dominus ejus restitutionem petat, ipsi, non prædoni restitui debet; hanc quippe esse justitiam demùm probamus, quæ suum cuiq; ita tribuit, ut non distrahatur ab ullius personæ justiore repetitione, ut eleganter inquit Tryphoninus.

V I I I.

Et consequenter igitur nedum res propriæ, sed & alienæ rectè deponuntur, mobiles tamen, nam in immobilibus depositum non consistit.

I X.

Porro neq; proprietas, neq; possessio in deposito transfertur & idè depositarius, si rem depositam deponente invito contractaverit, & in usus suos converterit etiam furti conveniri potest.

X.

Gratis autem rem recipere custodiendam depositarius debet absq;

A 2

mercedè

mercede, nam si merces intervenerit locatio est non depositum; etsi interim honorem non respuat, non magis quam mandatum, quod & ipsum gratuitum est.

XI.

Ac quamvis convenerit, ut certo tempore redderetur depositum; tamen & ante illud tempus res deposita rectè repetitur & depositarius ad reddendam eam modis omnibus obligatur.

XII.

Nullâ hîc admîssâ vel compensatione, vel deductione, vel doli exceptione quasi & ipse quasdam contra eum qui deposuit actiones personales vel in rem, vel hypothecariam habeat, ne contractus qui ex bona fide oritur ab perfidiam trahatur.

XIII.

Nec ipsi modo deponenti, sed & heredibus ejus repetitionem hanc damus, ita tamen ut his repentibus res deposita si divisionem recipiat pro portione hereditaria restituatur, si verò dividi non possit, etiam uni tota reddatur, satisfactione ab eo idoneâ acceptâ, in hoc quod supra ejus partem est.

XIV.

Unde quaeritur: Si pecunia in sacculo signata deposita sit, & unus heredum eam repetat, quemadmodum ei satisfiat? Et cum Ulpiano dicemus promendam esse pecuniam, vel coram Prætorè, vel intervenientibus honestis personis & exolvendam pro parte hereditaria, residuo apud depositarium remanente, si hoc voluerit, sigillis videlicet prius ei impressis, vel à Prætorè, vel ab his, quibus coram signacula remota sunt, vel si hoc recusaverit in æde deponendo. Neq; resignatione hac in legem depositi quicquam peccatur, cum vel Prætorè auctore, vel honestis personis intervenientibus hoc eveniat.

XV.

Cæterùm ea ipsa res, quæ deposita est in specie restitui debet, nonnunquam tamen etiam in genere rectè restituitur, si nimirum pecuniâ non ob signatâ depositâ conveniat, ut tantundem reddatur; neq; propterea res in aliud genus contractus transit, licet notissimos terminos depositi egrediatur.

XVI.

Nec res modo deposita nuda, sed & fructus, omnisq; causa & partus quoq;

tus quoq; restitui debet, sed & usura quoq; praestabuntur, si ab initio de ijs praestandis convenit, vel mora intervenit.

XVII.

Quod si cista signata deposita fuerit, nedum cista rectè repetitur, sed & rerum depositi rectè agatur, siue res ostensa sint & sic deposita, siue nõ ostensa, & sic ignoraverit is qui depositum suscipiebat res ibi esse.

XVIII.

Ex hoc contractu duplex est actio, directa & contraria.

XIX.

Illam deponenti (tam praedoni & furi, quam vero domino) ejusq; heredibus datur adversus depositarium, ejusq; heredes, ut rem, quam custodiendam suscepit, unã cum omni causa & accessione restituant.

XX.

Quantumcumq; ea, quae depositis rebus accedunt deposita non sint.

XXI.

Verum quia in hunc contractum, ut qui deponentis gratiam tantum contrahitur dolus duntaxat, & quae dolo est proxima lata culpa venit; utiq; neq; ipse apud quem res deposita est, neq; ejus heredes tenentur, si sine dolo malo rem depositam amiserint, vel suã naturã res interierit.

XXII.

Idq; ante moram planè indubium est, nisi semel dolo fecerit depositarius rem depositam vendendo, eamq; postea redimendo in causam depositi, tunc enim etsi sine dolo malo res postea perierit, tenetur.

XXIII.

Sed etsi post moram res deposita fato suo perierit, æquè tamen peritura fuisset; etsi confestim restituta esset actori, adhuc idem dicimus, liberari scilicet rei hoc interitu depositarium.

XXIV.

Secus verò si res æquè apud actorem non erat peritura, ut quia actor eam distraxisset, & precium sibi servasset.

XXV.

Similique modo; si heres rem apud testatorem depositam distraxerit ignarus depositam; quia dolo non fecit, non tenebitur de re, sed de precio saltem quod ad eum pervenit, quasi hoc ipso dolo faciat, quod id quod ad se pervenit, non reddit.



XXVI.

Idemq; & in persona pupilli, apud quem sine tutoris auctoritate depositum fuit, responsum est, ut in quantum locupletior factus est, in eum actio detur, etsi dolus non intervenit.

XXVII.

Ob dolum autem cum depositarium ejusq; heredes teneri dicimus, dolum non tantum præteritum intelligimus, sed etiam futurum, id est, post litem contestatam; Et ideo si res deposita, sine dolo malo amissa sit, & post judicium acceptum recuperetur, rectè reus ad restitutionem compelletur, nec absolvi debet, nisi restituat.

XXVIII.

Æquè si initio convenit, ut præter dolum etiam culpam & periculum præster depositarius, id quod ita convenit, servari debet; legem enim contractui dedit.

XXIX.

Etsi contraria conventio, qua id agitur, ne dolus præstetur, tanquam bonæ fidei judicio contraria non valeat.

XXX.

Sic si depositarius se deposito obtulit, vel custodiæ nomine honor intervenit, non solum dolum, sed etiam culpam & custodiam præstat.

XXXI.

Quemadmodum & cum moram in deposito reddendo depositarius committit, cumq; id posset reddere judicij accipiendi tempore, non reddidit, exinde ejus periculo est, & cum ipsius detrimento perit.

XXXII.

Porro ut in alijs judicijs bonæ fidei, ita & in hoc ipso depositi adversus non restituentem in litem juratur.

XXXIII.

Et qui suo nomine condemnatur, sive depositarius, sive ejus heres sit, infamia notatur.

XXXIV.

Deniq; si depositum contineat fortuitam causam depositionis ex necessitate descendantem etiam in duplum hoc depositi judicium datur.

XXXV.

Non tantum in depositarium ipsum; sed & in heredem ejus, si ipse heredis dolo malo quid factum erit. Illud

XXXVI.

Illud non omittendum, depositorem hac actione depositi agentem, omnibus alijs depositarij creditoribus, quomodocunq; etiam privilegiatis, ipsiq; adeo mulieri in dote præferri,

XXXVII.

Utq; tamen si usuras depositarum pecuniarum depositor non accipit, & pecunia deposita etiamnum extat.

XXXVIII.

Secus est si usuras accepit, tunc enim à cæteris creditoribus eum non separamus, vel nummi non amplius extant, ipsi sunt resignati & pecunia consumpta, quo casu post privilegia demum depositor vocabitur.

XXXIX.

Contraria autem depositi actio datur depositario ejusq; heredibus, adversus depositorem ejusq; heredes, ad id, quod in rem depositam impenderint, recuperandum.

XL.

In hoc autem contrario judicio depositi, quia non de fide rupta agitur, sed de indemnitate ejus, qui depositum suscepit, merito in litem non juratur, nec eo damnatus infamis fit. Et hæc de deposito.

XLI.

Sequestratio est rei litigiosæ, sive controversæ à pluribus in solidum, certâ conditione facta depositio. Dicta ab eo, quod occurrenti aut quasi sequenti eos qui contendunt, res committatur.

XLII.

Fitq; & ipsa vel conventionè partium, vel jurisdictionis necessitate, sive præcepto judicis: Illa regulariter permixta est: hæc non item, nisi ex causa armorum, dilapidationis & similibus.

XLIII.

Differt porro hæc sequestratio à deposito sic propriè dicto; Primum in eo, quod in deposito res non controversa interveniat; in sequestratione verò res litigiosa & controversa deponatur.

XLIV.

II. Quod deponere tam unus, quam plures possint; apud sequestrem autem non nisi plures deponant, cum nemo solus secum ipse litiget; qua ex re etiam sequester alibi dicitur tertia persona.

Quòd

XLV.

III. Quod in deposito, cum plures rem cōmunem deponunt, non singuli eam in solidū deponāt, sed pro sua quisq; parte & pro parte dōminij, quod in ea re habent, & singulis quoq; depositarius teneatur pro parte tantum, nisi aliud actum sit, ut vel unus totam rem tolleret, univē tota redderetur: At apud sequestrem unusquisq; in solidum rem, de qua agitur videtur deposuisse, & finitā lite victori quoq; in solidum datur actio depositi in sequestrem, quæ vocatur actio depositi sequestraria.

XLVI.

IV. Quod rei depositæ nedum proprietas, sed & possessio apud deponentem remaneat; rei autem apud sequestrem depositæ possessio, nisi custodiæ causa tantum deponatur, idq; apertè fuerit probatum, ad sequestrem transeat.

XLVII.

V. Quod pecunia, id est quantitas certa, quæ petitur actione si certum petatur de rebus creditis rectè deponatur non verò sequestratur.

XLVIII.

VI. Quod depositum demum in rebus mobilibus consistat; sequestro verò deponi etiam res immobiles possint.

XLIX.

Deniq; ex causa etiam liberarum personarum sequestrationem fieri posse Cujacius asserit.

L.

His exceptis verè depositum est sequestratio, daturq; ex ea actio depositi, tam directa, quàm contraria, quæ tamen ad differentiam alterius vocatur sequestraria.







XXXVI.

Illud non omittendum, depositorem hac actionem, omnibus alijs depositarij creditoribus, quovivilegiatis, ipsiq; adeo mulieri in dote præferri,

XXXVII.

Utique; tamen si usuras depositarum pecuniarum sit, & pecunia deposita etiamnum extat.

XXXVIII.

Secus est si usuras accepit, tunc enim à ceteris non separamus, vel nummi non amplius extant, hanc pecunia consumpta, i quo casu post privilegia deponitur.

XXXIX.

Contraria autem depositi actio datur depositibus, adversus depositorem ejusq; heredes, ad id, quod tam impenderint, recuperandum.

XL.

In hoc autem contrario judicio depositi, qui agitur, sed de indemnitate ejus, qui depositum suscipit non juratur, nec eo damnatus infamis fit. Et hæc dicitur

XLI.

Sequestratio est rei litigiosæ, sive controversæ, dum, certâ conditione facta depositio. Dicta autem aut quasi sequenti eos qui contendunt, res committitur

XLII.

Fitq; & ipsa vel conventionione partium, vel jurispræcepto judicis: Illa regulariter permittitur nisi ex causa armorum, dilapidationis & similibus.

XLIII.

Differt porro hæc sequestratio à deposito sicut in eum in eo, quod in deposito res non controversatur, in sequestratione verò res litigiosa & controversa deponitur

XLIV.

II. Quod deponere tam unus, quam plures possunt, autem non nisi plures deponant, cum nemo solus, quia ex re etiam sequester alibi dicitur tertia personam

